

dicta Gorbuz^{a)} cum omni utilitate, eadem villa in manibus nostris a iam dictis H. et H. et G. liberaliter resignata ipsisque humiliter petentibus, ut proprietatem eiusdem ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk donare et tradere dignaremur, cum eandem villam a nobis in pheodo tenuissent, ipsam cum omni iure et utilitate quae nunc provenit vel in posterum poterit provenire dicto domino P. praeposito et ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk tradimus et donamus iure proprietatis perpetuo possidentem. Ne vero super praedicta nostra donatione oblivionis incommodum seu sinistrae interpretationis obstaculum locum sibi valeat vindicare, praesentem litteram de iussu et voluntate nostra speciali conscriptam sigillo nostro dedimus roboratam. Huius rei testes sunt Albero burchgravius de Liznik, Heinricus advocatus senior de Plawe, Heinricus de Trebezin, Timo Knut, H. de Slatbach, Conradus prothonotarius noster, Nicolaus monetarius, Tilmannus cellerarius noster et alii quam plures fide digni. Acta sunt haec anno domini M°.CC°.LXXX.VII°. XI. Kal. Junii.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem wohl erhaltenen Reitersiegel an Fäden von rother Seide.

a) Wüste Mark. Nach einem Zinsregister vom J. 1541 zinsten . . Preusser und ein Mann zu Dewitz von der ‚Korbitzer Mark‘. Man wird demnach das Dörfchen Gorbuz in der Nähe von Taucha, Dewitz und Seelitz, nicht weit entfernt von der Parde zu suchen haben. Herzog Sachsens wüste Marken im Archiv f. d. Sächs. Gesch. II. S. 85. setzt es zwischen Leipzig und Mockau.

No. 29. 1289. 11. Febr.

Markgraf Friedrich von Landsberg eignet 60 Acker Holz in der Flur des Dorfes Gautzsch, welche Nicolaus und Wignand von Ziblawitz zu Lehn getragen und aufgelassen haben.

In nomine domini amen. Fridericus dei gratia Misnensis Orientalis et de Landesberch marchio omnibus in perpetuum. Ne ea quae fiunt in tempore simul labantur cum lapsu temporis, solent poni in ora testium et scripturae testimonio perhennari. Hinc est quod ad notitiam omnium tam praesentium quam futurorum volumus pervenire, quod nos sexaginta iugera lignorum in pago Kuschez sita, quae Nicolaus et filius eius Wignandus dicti de Ziblawitz a nobis in feodo habuerunt, post praedictorum Nicolai et Wignandi liberam ac voluntariam resignationem ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk cum omni iure et utilitate, sicut saepedicti N. et W. praedicta ligna a nobis habuisse dinoscuntur, contulimus et donavimus iusto proprietatis titulo quiete et pacifice perpetuo possidentia, nihil iuris nobis ac nostris heredibus in dictis lignis ab hac hora in antea vindicantes. Ut autem haec nostra donatio robur obtineat firmitatis, praesentem litteram dari iussimus nostri sigilli munimine roboratam anno domini M°.CC°.LXXXIX°. III°. Idus Februarii, praesentibus testibus infra scriptis: Nobili viro Al. burgravio de Liznik, domino Ot. de Ylburch iuniore, Thi. et Con. fratribus dictis Knut, Th. dicto Pubs, H. et Vol. fratribus dictis de Hain militibus, Con. Hebestrit et H. de Zweim nostrae curiae notariis, Jo. de Lubnitz, Th. cellerario civibus nostris in Lipzk et quam pluribus aliis fide dignis.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig. An roth- und gelbseidenen Fäden hängt das mit Ausnahme einiger Stellen der Umschrift wohlhaltene Reitersiegel.